

**Р ъ Ч И,**

произнесенныя

въ торжественномъ собраніи

**РИЦЕЛЬСВСКАГО ЛИЦЕЯ**

*22 Іюня 1840 года.*

---

**ОДЕССА.**



въ городской типографіи.

==  
1840.

Одобрена къ печатанію Совѣтомъ Ришельевскаго Лицея. 24 Мая, 1840 года.

Секретарь Федоръ Кленовъ.

PAULI BECKERI,

PH. DR. LITT. LATT. PROFESSORIS,

ORATIO

DE CAUSSIS QUIBUSDAM, CUR IN RUSSIA LITTERAE LATINAE ORDINI  
JURIS STUDIOCORUM NECESSARIAE SINT,

HABITA

IN LYCEO, QUOD ODESSAE CONSTITUTUM EST,

d. XX. Jun. MDCCCXL.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. Мечникова

Quamquam ego profecto non ignoro, ab iis, qui coram solemnibus sum-  
morum virorum conventu dicendi causa in hunc locum procedunt, ora-  
tionem plerumque expectari, quae oratoris doctrinam, eruditionem, acumen  
confirmet, tamen orationibus, quae in rebus domesticis versentur, et facilius  
benevolentiam auditorum captari, et certius severitatem iudicum leniri posse  
animadverti. Quod utrumque cum ab omnibus, quibus provincia publice  
loquendi obvenit, haud negligendum esse videatur, tum me, in omnibus  
indulgentia vestra indigentem, maxime impulit, ut rem a Lyceo nostro non  
alienam orationis a me habendae argumento esse voluerim. Dicere enim  
constitui *de causis quibusdam, cur in Russia litterae Latinae ordini juris  
studiosorum necessariae sint.* In qua re illustranda, si minus ingenii  
acumen et doctrinae ubertatem vel elegantiam Vobis probavero, tamen  
in magno lucro ponam, si Vos in studiis, quae ductu auspiciisque meis  
in hoc Lyceo colantur, haud parum utilitatis inesse judicaveritis.

Sed, antequam ad ipsum argumentum accedamus, paucis, Viri amplissimi  
Vosque Auditores ornatissimi, controversiam attingere placet, quae, jam  
dudum excitata, per plures annos fota, et ultimo tempore denuo erupta,  
animos virorum doctorum sollicitat atque vexat. Gravissimae enim crimina-  
tiones in eam studiorum partem conjectae sunt, quae more majorum, con-  
suetudine patrum fundamentum erant puerilis educationis, atque omnium  
efficacissima habebantur, quibus ad vitam politiore formarentur animi  
juveniles. Et cui mirum videri potest, quod ante aliquot saecula disciplina  
puerilis juvenilisque maxime continebatur librorum veterum, Graecorum  
Latinorumque, interpretatione? Nam cum per horum lectionem aditus

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУМІЯ МЕННИКОВА

hominibus factus esset ad sapientiam et ad bene dicendi ac scribendi intelligentiam atque facultatem, fugit barbaries, quae animos hominum oppressos tenuerat, fugit superstitio, quae mentem humanam per longa saecula vinculis adstrinxerat, fugerunt multae ac maximae doctrinae atque vitae humanae corruptelae, quibus antea nemo mederi potuerat. Quae rerum commutatio, cum recte sentiretur, a qua re ea exordium duxisset, multis viris etiam atque etiam persuasit, ut ingeniorum sollertiam prae ceteris converterent in litteras Graecas Latinasque accuratissime cognoscendas. Neque ea studiorum assiduitas fructum non tulit. In singulis disciplinis, quae ad humanitatem pertinent, libri veteres, in auxilium vocati, tam laetam segetem protulerunt, ut in puerili iuvenilique educatione litteris utriusque populi locus praecipuus concederetur. Atque hanc eae auctoritatem ad nostram aetatem sustinuerunt, qua exorti sunt, qui studiorum rationem, ex qua adolescentes in ludis litterariis maxime disciplina antiquitatis exerceantur, non modo taciti improbarent, verum etiam scriptis in publicum emissis acerbè reprehenderent, graviterque accusarent. Quod quo facilius ferendum fuit in hominibus indoctis, qui sua de studiis adolescentium existimatione ad mutandam educationem nihil fere valerent, eo gravius nunc visum est, cum qui sibi censorum personam auctoritatemque assumpserunt, sese doctos profiteantur, et rei scholasticae peritissimos. Num ea vero, quae proferunt, ejusmodi sunt, ut iis nullo modo repugnari possit? Minime. Neque defuerunt viri, qui vana adversariorum argumenta doctissimis disputationibus refellerent, et antiquitatis disciplinae in omne tempus eandem, quam ea antea in ludis litterariis occupasset, dignitatem conservare studerent. Ex qua contentione tam iniqua atque rei scholasticae, quae per tot saecula obtinuerat, periculum intentanti, plenamque immutationem minitanti, viri illi eo facilius victores exierunt, quod antiquitatis vindicias non ita susceperunt, ut ex educatione puerili iuvenilique omnes alias artes exulare vellent; imo ipsi fatebantur, esse iudicii nec sani neque recti, unice delectari antiquis, ipsi monebant, quae temporis, vitae, moribus nostris propinquiora videantur, ea

nec temere aspernari neque rejicere oportere, et disputationibus nihil aliud probare volebant nisi in studiis adolescentulorum antiquitatis disciplinae deberi locum primum. Annis vero adversariorum ita pacatis, et litterarum antiquarum studio in veterem dignitatem restituto, novissimo tempore aliud opprobrio verterunt rei scholasticae. Fuerunt enim, qui rationem Gymnasiorum a recta educandi via plane aberrare contenderent, cum in iis ad stylum Latinum recte accurateque excolendum nimium temporis converteretur. Voluerunt igitur, ut a more illo inveterato Latine scribendi atque loquendi abstinere, ut tempus, quod exercitiis Latinis conteri soleat, in linguam vernaculam magis magisque perpoliendam impendatur, et ut ea potius doceantur, quae ad vitam vel privatam vel publicam bene beateque degendam haud dubios afferant fructus. Quae voces primum in Germania exortae, deinde in Anglia renovatae, argumenti novitate virorum doctorum animos commovere non poterant; quid enim in novis illis criminationibus inest, quod non ex veteribus in eas irrepsisse dicatur? Alterum quidem, quo aliorum studiorum detrimento stylus Latinus in ludis litterariis coli declaratur, pertinet certe ad veterem istam insimulationem, atque ea a viris doctis refutata est tam validis argumentis, ut homines, qui in controversia, a se denuo excitata, adversariorum rationem nullam habuerint, iudicium parum accuratum ferre posse videantur. Quod vero alterum attinet, quo studium Latine scribendi loquendique linguae vernaculae neglectionem contemptumque afferre contenditur, id a viris, quibus ob insignem eruditionem in hac lite summa auctoritas concedenda est, coram praesentibus potius redargutum, quam publice improbatum est. Quid ita? criminatio ista iis levior esse videtur, quam ut ea cuiquam, penes quem iudicium est, possit probari. Et recte quidem. Quis enim negare audebit, multum sane a recta ratione recedere, si qui prae studio Latini sermonis linguae patriae facultatem non excolunt? At cur nulla potest esse linguae vernaculae cum Latina conjunctio? Num altera alteri non modo non succurrit, verum etiam damno est atque impedimento? Perfecto ita sese res non habet; imo studium styli

Latini, cui in ludis litterariis multum temporis et operae dari solet, nobis plane aliud efficere videtur atque eidem ab antiquitatis calumniatoribus exprobratur. Nam lingua Latina, cum fixa sit atque immutabilis, et certis regulis ac praeceptionibus contineatur, exemplum esto sermoni patrio, qui continuo agitur, nihil certum habet, nihil stabile, et ne unum quidem saeculum eodem vultu durare potest. Eadem vero profecto est jus et norma loquendi, si acumen juvenum, quorum animos doctorum virorum praecepta ad linguae Latinae subtilitatem elegantiamque adverterunt, ita acuitur, ut quae in hac didicerint, in linguam vernaculam quodammodo transferant. Ipsi jam ab initio intelligent, in utraque lingua permulta plane diversa esse, alia similia, alia eadem; ipsi in loquendo scribendoque novas leges sibi imponent; ipsi denique linguae patriae indolem multo accuratius cognoscent. At num res tam laeti successus ab eo expectari potest, qui in sola veterum scriptorum lectione acquiescit? Non credo, hoc jam sufficere. Consuetudine opus est multo familiari, eaque jungetur, si nos ipsi Latine scribere et loqui inceperimus, atque a studio tam difficili non destiterimus, priusquam animos nostros ad scriptorum Romanorum normam plane excoluerimus. Quod si nobis feliciter cesserit, non modo habebimus, quo alteram linguam cum altera accuratius comparare, et singula in utraque certius discernere possimus, verum etiam aliud, quod hac nostra aetate magni aestimandum est, inde nobis paratur emolumentum. Quid enim in dictis scriptisque, quae nostro tempore emittuntur, animos aequorum judicum gravius commovent? Multa in iis saepe offensionis sunt: obscuritas orationis, turba inanium vocabulorum, sonitus magnificorum verborum, tumor sermonis in rebus simplicissimis, et ostentatio ista, qua scriptores nostrae aetatis a grege distingui volunt. Qui errores, hodie pervulgati, nonne in primis apud eos occurrunt, qui, spreta antiquitate, neglectoque more majorum, ab exercitatione Latine scribendi ac loquendi plane abstinerunt? Etenim certum est, stylo Latino, quo singulas sententias ad veteris linguae indolem naturamque accommodare doceamur, quam maxime adjuvari perspicuitatem sermonis patrii, cum

ea sola in linguam illam transferri posse videantur, quae animo accuratius agitata atque mente planius concepta sint. Perspicuitati vero, qua in Latine scribendo loquendoque opus est, adolescentes ita adsuescunt, ut eam tamquam primam boni styli conditionem in patrio sermone quoque praecipue spectare, atque omni alii rei anteponeere cogantur.

Quae quum ita sint, tantum abest, ut accuratiorem linguae Latinae cognitionem nostra aetate supervacaneam habeamus, ut, quantum in nobis situm sit, eam omni juventuti pernecessariam esse declarem. Sed hujus loci non est de utilitate agere, qua qui studio litterarum Romanarum operam dant, in universum fruuntur; de ea re a viris doctis saepius jam dictum est, et ita dictum est, ut profecto nesciamus, quid a nobis in commendationem earum adjici potuerit. Cum vero laudes illae ad omnes studiorum disciplinas pertineant, quibus aetas juvenilis ad humanitatem informari solet, operae pretium est videre, quem proprium fructum ex litteris Latinis percipiat jurisprudentia Russica. Ac ne oratio nostra statim a re proposita aberrare videatur, neve in confusionis vel perturbationis crimen incurrat, praemonere oportet, litteras Latinas cum accuratiore juris Romani studio tam arte conjunctas esse, ut alterum ab altero non possit separari. Pendet igitur, si quid videmus, universae rei judicium maxime ex eo, ut necessitas juris Romani, quod sine subtiliore litterarum Latinarum studio recte cognosci posse negamus, patriae nostrae omnino vindicetur. Itaque primum probare studebimus, quid sit, quod peritia juris illius tam necessaria videatur jurisconsultis Russicis, deinde cur ea non impetranda sit nisi accuratiore litterarum Latinarum cognitione.

Jam explicandum est, cur jus Romanum omni tempore apud omnes fere populos plurimum valuerit, et cur apud multos ad nostram usque aetatem vigeat ac floreat. Nonne caussa tantae auctoritatis in ipso jure illo quaerenda est, quod, nec contentum codice legum, qui corpus juris nominatur, nec profectum ex libidine Imperatoris Justiniani, qui leges in corpus redigi curavit, memoriam amplius mille annorum comprehendit, et cum historia

populi et imperii Romani tam arcte cohaeret, ut verissima utriusque imago inde reluceat. Omnis homo igitur, qui non omnino alienus est a sensu historiae, non concedet, ut de re tanti ponderis contemptim judicetur. Nam si Graeci et Romani de ingenii principatu inter se contendant, et ambiguum fortasse videri possit, ad quos palma deferatur, omnes tamen ita statuunt, ut in reipublicae constitutione, qualis pendeat a legum praestantia, longissime Graecos superari a Romanis dicant. Quid enim aliud exstat, quod vi ac subtilitate cum Romanorum jurisconsultorum scriptis comparari possit; tantum in iis inest nervi, tantum profunditatis, tantum acuminis atque sapientiae, quantum in alia re nulla. Est hoc vero jus non unius civitatis aut provinciae, sed generis humani et totius orbis terrarum, jus non ex capite unius hominis excussum, sed ex prisca multorum saeculorum sapientia conflatum, denique jus non paucorum annorum, sed omnium temporum. Cuinam enim debemus sublatam tot populorum barbariem? juri Romano. Cui rerum civilium principia ac fundamenta? juri Romano. Quid plurimum valuit ad consociandas omnium populorum voluntates? jus Romanum. Unde legum nostrarum origines maxima parte repetuntur? a jure Romano. Ubinam juris non modo primordia, sed summa paene perfectio et praestantia quaerenda? in jure Romano. Quodsi igitur aliquis in jurisprudentia ita versari voluerit, ut viri docti nomine non indignus videatur, is profecto necesse est illius cognitione haud mediocriter imbutus sit. Nam, ne loquar de populis, apud quos jus illud vel hodie exercetur, accuratior juris Romani scientia expostulanda esse videtur ab omni jurisconsulto doctiore. Quid ita? Nusquam certe, quam in jurisprudentia Romana subtilius adumbrantur civium negotia, personarum gradus, rerum divisiones, nusquam perspicuius distinguuntur crimina publica a privatis, caussae graviores a levioribus, nusquam denique clarius apparent cetera, quae humanam societatem vel laedere vel tueri possint. Quid igitur jurisconsulto, etsi ipse nullas caussas judicat ex jure Romano, poterit esse utilius, quam si patriae jurisdictionis praecepta argumentis firmaverit ex jure Romano petitis? Nonne, si hac luce tam

splendida caussas difficiliore collustraverit, tenebras dispellet, quibus singula offusa sint atque involuta? Profecto enim acuetur ingenium cujusque, qui in judicandis rebus gravioribus similitudinem quandam sive, ut ita dicam, analogiam quaesiverit ex praeceptis, nobis a jure Romano suppeditatis. Accedit porro, quod jus Romanum etiam apud populos, qui singulas caussas ex suo jure atque ex suis codicibus judicant, patriae jurisdictioni plerumque fundamentum factum est. Inde vero fieri solet, ut non nisi ope ac beneficio juris Romani alia melius intelligantur, alia accuratius confirmantur, alia denique rectius adhibeantur. Atque si haec omnia non tanta sunt, ut omnibus, qui jurisconsultorum nomine atque laude digni haberi velint, pleniorrem juris Romani cognitionem commendent, restat tamen ipsum populi Romani nomen, quo majus nihil in historia vetere inveniri potest. Quemadmodum autem a verae institutionis lege plane abhorret, ut in ludis litterariis prae patria historia, cui principem locum nemo facile concedere dubitaverit, exterorum populorum res prorsus negligantur, ita haud sani iudicii nobis ii esse videntur, qui, soli patrii juris studio dediti, tamquam inanem alienamque contemnant aliorum populorum jurisdictionem. Fieri quidem non potest, ut juvenes in magno disciplinarum ambitu, quibus ii in Academiis operam dant, omnium, qui unquam in terra habitaverint, populorum jus accuratissime cognoscant, at si in aliis sufficit cognitio levior, ea tamen plenissima sit necesse est in jure Romano, quippe quod, quantum aliud nullum, in primis contribuerit ad humanitatem promovendam, sibi quae ob tantum beneficium in generis humani historia summam auctoritatem vindicaverit. Itaque hominis docti atque eruditi laudem in eo positam esse putamus, ut ad jus Romanum, quod tantam vim habuisse intellexerit, haud parum impendat diligentiae atque assiduitatis.

At quaeri fortasse potest, quid fuerit, quod juri Romano, cum ipsum imperium Romanorum jam senio confectum esset, potestatem eam conciliaverit, qua illud sibi, ut Romani totum orbem terrarum antea subegerant, ita omnes fere populos tum denuo obnoxios reddiderit. Prosperrimus hujus

rei successus ipsa juris illius natura explicandus est. Nam si Imperatorum quidam florentissimo imperii Romani tempore, quod doctissimorum jurisconsultorum studiis conspicuum esset, leges Romanas colligi, easque eadem, qua Justinianus usus est, ratione in corpus redigi jussisset, collectio illa profecto quidem multo praestantior, multo uberius, multo accuratior facta fuisset, sed vix eandem, quam in codice Justiniano admiramur, potestatem in tot populorum animos esset adeptus. Quid ita? Tum enim jus Romanum tam laete florebat, tam peculiare erat populo Romano, et, si formam spectamus, tanta arte erat excultum, ut gentes novae a jure, quod ab indole moribusque earum omnino abhorruerit, certo abstinuissent. Quae res profecto aliter se habuit tempore Justiniani. Etenim, jam exhausta publica Romanorum vita, notiones universales ideaeque mente et cogitatione a singularibus rebus abstractae, quae novo codici fundamento fuerant, naturam juris Romani plane mutarunt. Atque hac ipsa mutatione opus erat, ut populi novi jus peregrinum, in quo omnia ex legibus universalibus ad certitudinem quandam redacta erant, tanquam rem ex omni parte absolutam reciperent, ac moribus suis adaptarent. Inerant enim in eodem permulta, quae non modo populo Romano apta viderentur, sed quae, cum in singulis ad naturam indolemque generis humani in universum spectatum esset, omnibus facile se commendarent.

Quodsi igitur ex iis, quae dicta sunt, intelligi potest, cur etiam apud populos, qui judicant res ex legibus vernaculis, in studium juris Romani ab adolescentibus aliquantum temporis impendatur, atque accuratior legum Romanarum cognitio a jurisconsultis doctioribus exigatur, clarius hac luce esse videtur, cur studium illud apud gentes, quae vel hodie jure Romano utuntur, in primis floreat, atque animos omnium, quicumque jurisprudentiae operam dant, praecipue occupet. Nam quemadmodum illi dicunt, se ex jure Romano aequitatis vim ac naturam decerpere, ut de patriis legibus rectius judicent, sic his fatendum est, patriae jurisdictionis eos prorsus esse expertes, quibus imperitia juris Romani possit exprobari.

Cum vero haec jam ejusmodi sint, ut omnibus populis studium juris Romani maxime commendent, atque peritiam illius haud inanem reddant, tum in imperio Russico inveniantur alia, quae eidem juri vel majorem comparent auctoritatem, jurisque Romani necessitatem imponant omnibus, qui operam navent jurisprudentiae Russicae. Satis quidem notum est, in patria nostra prae ceteris valere jus patrium, sed ex similitudine, quae intercedit inter imperium Romanum atque Russicum, cognationem utriusque probari posse putamus. Quid vero est, quod similitudinem illam admittat? Cernitur ea in tanta finium utriusque imperii propagatione, quanta nullo unquam tempore alius populus gloriari potuit, cernitur in amore patriae, quo Russos a Romanis haud superatos esse contendimus, cernitur in studiis singulorum, qui gloriam patriae et suis laboribus et suis periculis angere desiderant. Quae si fortuita sunt, habemus alia, quae cognationem certiorum reddant ac paene indubitam. Respecta enim simili Romanorum Russorumque origine, facile intelligitur, Auditores honoratissimi, cur natura indolesque utriusque populi haud levior exhibeat similitudinem. Nam cum utriusque civitatis origo a militibus strenuis repetenda sit, mirum esse non potest, quod majorum ingenium in utroque populo per omnia tempora etiam atque etiam recurrit. Inde proficiscitur fortitudo, qua Russi aemulantur Romanis, inde amor ille militaris, quo in utroque imperio maxima quaeque perpetrata sunt, inde denique aliae virtutes, quae ab indole militari non possunt separari. Quid multa? originis similitudo effecit in utroque populo aliquam similitudinem morum. Quod si ita est, nonne etiam conicere licet, cum leges singulorum populorum respondeant ipsis eorum moribus, parem cognationem exstare inter jus Romanum atque Russicum? Quae cognatio vel verisimilior eo redditur, quod antiquissimo tempore populum Russicum cum Graeco, apud quem jus Romanum floruisse satis constat, negotiorum commercio conjunctissimum fuisse, et plurima, quae ad animorum conformationem spectent, a Graecis mutuatum esse scimus. Atque verisimilitudo illa in certitudinem abire videtur, ex quo novissimis virorum doctorum investi-

gationibus probari coeptum est, jus Romanum jam ab antiquissimis inde temporibus irrepsisse in imperium Russicum, atque in multis, quae memoriae servata sint, perspicue agnoscitur illius vestigia. Quae juris peregrini potestas non modo in aetatem incidit, qua e Graecia doctrinam Christianam in Russiam propagatam esse constat, verum etiam tempori, quod Wladimirum Magnum praecessit, vindicanda esse videtur; nam ut pro certo habemus, jus Graeco-Romanum cum religione Christiana in Russia invaluisse, idemque, in collectiones canonum ecclesiae Graecae receptum, corpori juris canonici Russorum, quod Коричная Книга inscribitur, fundamento fuisse, ita nuper ingeniose demonstratum est, quantam jus Romanum vel ea aetate, qua Russi pagani essent, vim exercuerit in jus Russicum. Neque posterioribus temporibus jus Russorum plane abhorruit a jure Romano. Nam quamquam illud conflatum est ex edictis Imperatorum, quorum singuli juri patrio pro ingenii facultatibus consulerunt, certum tamen est, Imperatorum plurimos fuisse juri Romano, idemque suis legibus proposuisse instar exempli. Ita vero fit, ut juris Romani cognitio non inanis esse possit in jure Russico doctius interpretando. Profecto quidem nullus unquam populus tam plena patriarum legum collectione gloriatus est, quam quae jussu IMPERATORIS nostri Augustissimi in Russia confecta est. En praeclarum sane atque sapientiae plenum opus, in quo quis negat, maximum esse repositum veri cognoscendi praesidium, certissimum causas subtilissimas judicandi adjumentum? Sed de tam eximii operis laude nihil certe detrabere nobis videtur, si eandem, quam in plurimis admiramur, absolutionem perfectionemque in quibusdam desiderari fatemur. Quid enim in tam magno omnium rerum ambitu facilius fieri poterat, quam ut a legislatoribus patriis alia minus accurate exhiberentur, alia plane negligerentur? Quae quum ita sint, jurisconsulti Russici, cum in legibus patriis non inveniunt, qua ratione causae vel impeditiores, vel minus praevisae recte absolvantur, haud raro maximis difficultatibus circumveniantur necesse est. At difficultates illae certo expediuntur, si iidem iudices, non sufficiente jurisdictione patria, ad jus Romanum con-

fugere consueverint, ex quo jure, aut analogia quadam ducti, aut peculiari-  
bus legibus admoniti, causas quam difficillimas saepenumero explicare poterunt. A consilio nostro quidem alienum est enumerare singula quaeque, in quibus ex jure Romano haud leve praesidium petendum sit, sed non possumus, quin commemoremus, jus Romanum subtilissime dignoscere causas incendii atque peculatus, idem in infanticidio accuratissime statuere de corpore delicti, atque acutissime discernere de crimine stupri violenti deque aliis multis, quae legibus Russicis nondum plane constituta sint.

At ne temerarie juri Romano tantam vim vindicasse videamur, operae pretium est examinare, quomodo IPSE IMPERATOR noster Clementissimus virique summi, quibus in Russia rei scholasticae cura demandata est, de accuratiori juris Romani studio statuerint. Quid? nonne in studiorum formula, juris studiosis praescripta, juri Romano locus assignatur praecipuus? Nonne in omnibus, quae in Russia florent, litterarum Universitatibus animi juveniles prae ceteris imbuuntur jure Romano, nonne iidem tum demum ad jus patrium admittuntur, cum sibi accuratam juris Romani cognitionem paraverint? Qui studiorum ordo, in Universitatibus Russicis jam pridem receptus, ultimo tempore in hoc Lyceo quoque adoptatus est, in quo jus Romanum jam altero, jus Russicum tertio studiorum anno pertractari jubetur. Num quid in hac studiorum descriptione fortuito factum est? Minime; inest in ea tantum consilii sapientiaeque, quantum modo a summis viris, qui in patriae salutem patrias Academias institui voluerunt, expectari potuit. Quid enim evidentius probat, jus Romanum fundamentum haberi juris Russici? Quod si ita non esset, in Russiae Academiis alius haud dubie observaretur studiorum ordo.

Quum igitur clarissime appareat, Auditores amplissimi, quanta ex sapientissimorum virorum judicio cernatur vis et praestantia in studio juris Romani, siquidem per illud unum vel via munitur ad cognoscendam juris Russici naturam indolemque, vel interioris et subtilioris doctrinae fundamenta jaciuntur, haudquaquam nobis videtur errare, contententes, a juve-



nibus Russicis, absoluto in patriis Universitatibus jurisprudentiae cursu, eo consilio in primis peti Berolinum, ut praestantissimorum professorum auspiciis singularem operam navent studio juris Romani. Quam litterarum sedem quum omnes fere sibi eligant, tum praecipue ii, quibus studia sua impensis publicis apud externos populos continuare contigit. Neque negamus, Berolinum prae ceteris Germaniae Universitatibus excellere summa eruditissimorum virorum copia, ibique in singulis litterarum disciplinis inveniri professores eximios, sed hoc non ita est, ut reliquae Germanorum Universitates ingenio, doctrina, eruditione aliisque virtutibus orbatæ videantur; imo vel minimæ, quoniam in singulis quaedam litterarum disciplinae praecipue coluntur, laudem haud mediocrem sibi pararunt. Itaque fieri solet, ut hae a medicis, illae a philologis, aliae ab aliis adeantur. Quid vero est, quod juris studiosis in tanta Universitatum multitudine in primis commendet Berolinum? Nonne eos allectat studium juris Romani, quod Berolini nactum est propugnatores acerrimos? Haec profecto causa est, cur ex omnibus terrae regionibus illuc confluant juvenes, accuratiori juris cognitioni operam daturi. Quod cum viri, quibus in imperio nostro populi cultura litterarumque progressus cordi sunt, rectissime intellexissent, assidue curarunt, ut jurisconsultis Russicis Berolinum quam maxime commendaretur. Sapientissime enim senserunt, juri Russico ex plena juris Romani cognitione praesidium parari validissimum.

Quod si jam ejusmodi est, ut inde facile cognoscatur, quantum viri illi potestatem in jure Romano inesse judicaverint, omnium tamen est gravissimum, quod lege peculiari praescribitur, ut omnes, quicumque se ordini jurisconsultorum examinandos offerunt, ornati sint accuratiori juris Romani cognitione. Num opus est lege nisi in re necessaria? an quidquam de jure Romano monitum esset, nisi illius ope et beneficio juvaretur jus Russicum? Profecto nihil. Etsi vero jus Romanum saeculo fere abhinc in Russia tractari coeptum est, ac statim ab initio jam multis patuit, quantum inde emolumentum juri patrio oriri posset, tamen accidit, ut juvenes, studii molestia

deterriti, rem difficiliorem ne primoribus quidem labris attingerent. Quod quum a viris, penes quos in causa tam gravi summum judicium est, aegre animadverteretur, opera data est, ut nova lege singulis imponeretur necessitas jus Romanum plenius cognoscendi. Nec frustra expectabantur fructus legis saluberrimæ. In singulis enim Universitatibus exstiterunt homines, qui et verbis et scriptis novam vitam excitarent juri intermortuo, ac studiis suis efficerent, ut jurisconsultorum ordo in Russia fieret eruditior. Jamjam juvenes, qui eorum auspiciis juri Romano operam navaverant, universae patriae maximo ornamento esse coeperunt, iidemque, quasi in aliorum exemplum ad summos honores evecti, omnibusque laudibus ornati, accenderunt communem studiosae juventutis aemulationem. Mox surrexerunt alii, qui, lectis priorum vestigiis, multum operae converterunt in studium juris Romani, et nostro tempore non modo in omnibus Russiæ Universitatibus, verum etiam in Schola juris studiosorum, quae Petropoli floret, et in Lyceo nostro animi adolescentium imbuuntur haud mediocri juris Romani cognitione.

His igitur praemissis, denique oritur quaestio, quænam inter litteras Latinas jusque Romanum intercedat conjunctio, et quid sit, quod juris Romani studium non nisi præcipua Romanorum litterarum scientia laetius florere possit. Qua in re opportune profecto accidit, quod eadem illae litterae antiquitatis, quas juventuti plane necessarias esse centendimus, non parvi aestimantur in jure Romano. Nam quum inter omnes constat, maximam fontium partem, e quibus juris illius cognitio hauriri queat, Latine conscriptam esse, nemo facile non intelligit, in hoc studio aliquantum praesidii ex lingua Latina esse petendum. Attamen non omnes studium litterarum Romanarum tantum esse volunt, quantum res ipsa desiderare videtur. Dictitant enim quidam, juvenibus operam in jure Romano collocaturis jam sufficere ea, quae in Gymnasiis didicerint, nec opus esse post cursum Gymnasii rite absolutum renovato litterarum Romanarum studio, quippe quo aliis rebus necessariis tempus praeripiatur, eaque impediuntur ac negligantur, quae multo graviora sint. Sed qui tandem sunt homines, quibus tam facile satis-

fieri potest? Scilicet vel ii, qui in cognoscendo jure Romano non ipsos fontes adeunt, sed in libris subsidiariis, lingua vernacula conscriptis, omnem rem jam exhaustam esse putant, vel ii, qui, quid Gymnasiis propositum esse debeat, et quo fine ac consilio constituta sint, omnino non exploratum habent. At, ut de iis primum agamus, quos priores posuimus, est viri docti non rivulos consecrari, sed ipsos adire fontes, unde juris illius quasi flumina permanarunt. Quod si qui faciendum esse negant, ii non videntur reputasse, neglectis fontibus haud dubie futurum esse, ut flumina ista, quae iis plenissima videbantur, sensim paulatimque exarescant et stagnare incipiant. Atque num doctrinae laude, qua studiosorum ordo ornari solet, dignus habendus est, qui, spreto quaerendi et investigandi labore, in eo acquiescit, quod praesentis temporis utilitati inserviat, nec quidquam curat, num ea, quae ex subsidiis sibi propositis eliciat, etiam genuina sint, atque integra? Quid enim? Nonne novo quoque libro, qui in istius hominis manum incidit, maxima in animo ejus parabitur incertitudo, maximumque dubium? Nam magistrorum vestigiis adsuetus, nec ulla re nisi eorum libris libellisve imbutus, de omnibus, quae in illis non continentur, ambigat necesse est. Novae in dies oriuntur difficultates, cum in iis, quae didicerit, a viris doctis alia diverse explicari, alia plane rejici audiat. Non habet, quem sequatur, quia viam, qua incedere solebat, et quae ei antea rectissima videbatur, ita impeditam videt, ut in ea non velit continuare. Irreperit suspicio in virtutem disciplinae, quam a se in tanta sententiarum discrepantia non satis coli posse intelligat, dubiumque, continuo auctum, non depellitur nisi studio juris Romani plane abjecto.

Altero loco refutandum est iudicium eorum, quibus doctrina, in Gymnasiis parata, jam sufficere videtur ad plenam juris Romani perceptionem. Qui si in Gymnasiis nostris litteras Latinas ita disci putant, ut adolescentulorum animi jam expleantur omni antiquitatis disciplina, profecto egregie falluntur. Nam cum omnes fere Gymnasiorum conditores sapientissime iudicarent, ad Gymnasia pertinere initia omnium disciplinarum, antiquitatisque

studia copulari oportere cum linguis recentioribus, historia, geographia, mathesi et praecipue cum excolenda patriae linguae facultate, fieri nullo modo potest, ut in tam magno diversissimarum disciplinarum ambitu singulae quaeque penitus ediscantur. Quid igitur mirum, quod in antiquitatis studia non aliquanto plus temporis operaeque impenditur quam in reliquis disciplinas, quibus animi juveniles imbui solent, quid quod cursus scholasticus ita comparatur, ut singulae disciplinae quodammodo aequo jure gaudeant? Quae Gymnasiorum descriptio, siquidem in iis fundamenta studiorum humanitatis jacienda, juvenesque ad altiores disciplinas praeparandi sunt, quo rectius se habet, eo minus expectandum est, in Gymnasiis singula jam posse absolvi. Sed egrediuntur adolescentuli ex Gymnasiorum carceribus ita instructi, ut in omnibus, quibus operam navarunt, disciplinis graviora saltem percepisse videantur, atque studia sua, ad peculiarem litterarum partem conversa, prospero successu continuare possint. At, inquirunt, si hic est status Gymnasiorum, nonne pueri, qui per septem Gymnasiorum classes litteris Latinis operam dederunt, tantam demum cum hac lingua contraxerint oportet familiaritatem, ut eam omnino teneant? quam, si tam longo temporis spatio non didicerint, profecto nunquam ab illis cognitum iri contendunt. In qua criminatione si quid inest veri, tamen hoc non tantum valet, ut cognitionem litterarum Romanarum, qualis in Gymnasiis paratur, juris studiosis jam sufficere putemus. Nam quamquam omnino non ignoramus, pueros juvenesque septenni illo studiorum cyclo aliquantum proficere, ac plurimos eorum eo procedere, ut praecipuorum scriptorum libros ipsi perlegerint probeque intellexerint, restant tamen alia, quae studiis serioribus reservata esse videntur. Quid vero mirum, quod pro veterum scriptorum multitudine in Gymnasiis ad ea in primis spectatur, quae, aetati juvenili accommodatiora, litterarum Romanarum elegantiam, splendorem, praestantiam ante oculos ponant? Delingunt igitur prae ceteris aureae aetatis, quam dicunt, auctores, qui excellent et puro candidoque dicendi genere, et argumentorum jucunditate, et sermonis perspicuitate. Accedit praeterea, quod in scriptorum numero prae-

valent ii, quorum libri cum aliis disciplinarum studiis vel quandam offerant cognationem, vel arctissime cum iis conjuncti sint. In his vero primum locum obtinet Cicero, qui, in omni dicendi genere facile princeps, summo jure dux habetur atque magister Latinorum Gymnasii studiorum. Nam quis est alius, qui apud Romanos tantum laudis, gloriae, celebritatis adeptus est, quantum Cicero? Itaque praesertim lectitatur in Gymnasiis, et ita lectitatur, ut in omnibus, quaecunque in linguae Latinae proprietate, in elocutionis elegantia, in verborum significatione, denique in omni re Musis Romanis peculiari animadvertenda esse videntur, continuo respiciatur ad Ciceronem, uberrimum illum et abundantissimum eloquentiae fontem. Sed non conque- scitur in solius Ciceronis studio atque cognitione; evolvuntur atque excuti- untur item historici Cornelius Nepos, Julius Caesar, Sallustius, Livius, ne- que negliguntur poetae Phaedrus, Ovidius, Virgilius, Horatius. At num ex horum scriptorum libris litterae Latinae jam probe cognosci possunt? Non crediderim. Nam etsi nemo facile negabit, in hunc scriptorum Latinorum delectum, quo arctioribus contineatur finibus, eo plus diligentiae, studii, fideique posse converti, multum tamen adest, ut lectio eorum jam constituat probam litterarum Romanarum cognitionem. Quam si quis sibi parare volu- erit, adeat necesse est etiam alios, qui nobis ex antiquitate relictis sunt, au- ctiores, ipseque cognoscat, quantum intersit inter optimos ac peiores Romano- rum scriptores. Etenim num qui eos solos legerit, quos, cum praestantissimi sint, in Gymnasiis pertractare solent, jam probe intelligit, quanto illi prae- stantiores ceteris habendi sint? Credere quidem poterit, scire non poterit. Cum igitur omnique, qui in re tam gravi suam ipsius sententiam ferre, quam judicio aliorum obnoxius esse maluerit, omnium temporum scriptores cognoscendi sint, tum juris studiosis non concedendum est, ut alios, inferio- res, e manibus excutere conentur. Illi vero iis non modo commendandi sunt, ut certum de optimis Romanorum libris judicium habeant, verum etiam, quod multo gravius est, propterea apud eos necesse est plurimum valeant, quod sibi eorum demum auxilio subtiliorem juris Romani cognitionem parare

posse videntur. Constat quidem inter omnes, jurisconsultos, quorum fra- gmenta in Pandectis supersint, etsi labente latinitate vixerint, tamen ex Mucii Scaevolae, Servi Sulpicii, Alfeni Vari aliorumque veterum libris, quos le- gendo contererent, et ex ipso Elicto perpetuo, quod memoria tenerent, talem orationis nitorem duxisse, ut a viris doctis in classicorum numerum referri soleant, sed nihilominus haud pauca in eorum scriptis inveniuntur, quae a sermonis sinceritate, qua veterum jurisconsultorum libri conspicui erant, valde recedant. Quomodo enim jurisconsulti recentiores antiquitatis ita studiosi esse potuerunt, ut a suae aetatis sermone tamquam spurio multisque maculis contaminato semper abstinuissent? Certum quidem est atque indubitatum, eos in plurimis legisse vestigia veterum, sed studio etsi acerrimo, haud ef- fectum est, ut scripta eorum erroribus careant, quibus aetas, qua vixerint, plus minusve laboravit. Quid enim? nonne opera eorum praesertim in eo posita erat, ut plane recteque intelligerentur ab aequalibus? Quod num alia ratione fieri poterat nisi admissa, quae obtinuit, singulorum verborum significatione? Atque fragmenta in Pandectis obvia hanc linguae Latinae commutationem perspicue testantur. Jam dudum igitur commonefacti sunt jurisconsulti, ut in omnium quaestionum tractatione exquisitam singulorum vocabulorum explicationem non tamquam humile quiddam et contemnedum praetermittant, sed Antistii Labeonis, jurisconsulti praeclarissimi, exemplum ante oculos habeant. Nam ut Gellius, in hoc viro nobilissimo, multisque virtutibus conspicuo, singulari laude persequitur, quod Latinarum vocum origines rationesque percalluisset, eaque praecipue scientia ad enodandos juris laqueos uteretur, sic jurisconsulti nostrae aetatis in primis animadvertant necesse est, ne verba veterum Romanorum, in Pandectis superstitia, false intelligant, neve significationem, a vera auctorum sententia quam maxime abhorrentem, illis obrudant. Quantum vero in hac re valeat recta verborum cognitio jam discimus ex Aristotele, qui, cum verba, inquit, sint eorum, quae animo concepimus, notae, fieri nullo modo potest, ut, qui vim verbo- rum non percipit, eam sententiam, quae illis verbis expressa est, assequatur.

Itaque et idem Aristoteles alibi ait, eos, qui, quid quoque verbo proprie indicetur, non satis intelligant, in rebus judicandis saepenumero falli, et apud Platonem Cratylus ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere dicit. Et quis tandem est, qui hac nostra aetate de re omni tempore indubitata dubitationem ullam poterit movere? At, inquit, cur non in Gymnasiis haec verborum intelligentia parari potest? cur praeceptores non statim ab initio puerorum animos ad mutatas verborum significationes advertere conantur? quid in iis, quae jam in Gymnasiis absolvi possunt, continuato litterarum Romanarum studio opus est? Quae qui objiciunt, ii perspicue produnt, se plane ignorare, quibus terminis Gymnasiorum studia circumscripta sint, et quid a praeceptoribus possit expectari. Nam cum supra monuimus, litteras Latinas in Gymnasiis nostris ita coli, ut in explicandis interpretandisque scriptoribus praesertim spectetur ad auream aetatem, et prae ceteris genus dicendi Ciceronianum accuratius cognoscatur, munus officiumque praeceptorum iis continetur finibus, ut animi juvenum in verborum explicatione praepararentur vel ad ea, quae ipsi ex libris in Gymnasio evolvendis cognoscere queant, vel quae ad optimam Latinorum scriptorum aetatem pertineant. Atque in iis jam tantum animadvertendum est, ut de fluctuanti singulorum verborum significatione vix uberius possit moneri. Adolescentes vero, quicumque operam dant vel philologiae, vel juri, vel alii denique studio, quod Latinarum litterarum auxilio eget, posterioris quoque aetatis libros diligentius pervolvent necesse est, ut inde verborum significationem paulatim immutatam, genusque dicendi ab antiquitate diversum melius cognoscant. Atque haec studiorum ratio cum omnibus profecto haud parvae sit utilitatis, tum maxime adjuvat jurisconsultos, qui, ita praeparati, in interpretandis Pandectarum libris multo certius ab omni errore prohibeantur. At ne haec quidem sufficiant, ut omnia, quae in corpore juris continentur, jam plana sint atque aperta. Praeterea opus est, ut accuratius cognoscantur instituta, mores, consuetudines, denique tota vita Romana, eaque non unius tantum aetatis, sed omnium imperii Romani temporum. Sed tam plena populi Romani

cognitio in Gymnasiis non potest parari. Nam etsi, et lectis optimorum scriptorum libris, et diligentius pertractata Romanorum historia, antiquitas Romana jam in Gymnasiis aliqua ratione percipitur, fieri tamen nullo modo potest, ut ea, quae opus est, scientia antiquitatum Romanarum tam facile cuiquam contingat.

Quae quum ita sint, prospere evenit, ut aetate nostra juvenes, juri operam daturi, post confectum Gymnasii cursum tum ad proprietatem rectumque usum verborum Latinorum explicandum, tum ad mores consuetudinesque populi Romani, ex quibus unis proprietates saepe intelligi potest, illustrandas animum et studium denuo converterint. In qua utraque re, ut cognitiones sibi necessarias facilius assequantur, philologi facem iis praeferre non dubitant, cum in scholis suis et ad rectam legitimamque vocabulorum significationem, et ad antiquitates Romanas subtilius investigandas continuo respiciant. Idem illi praeter libros in Gymnasiis nondum pertractatos, atque uberius commentariis a se ornatos, antiquitatibus Romanis scholas peculiare vindicare consueverunt. Quae studiorum ratio, in Universitatibus Russicis jam dudum obtinens, lege persapienti huic Lyceo quoque imposita est. Nam cum IMPERATOR noster Clementissimus tertio abhinc anno Lyceum nostrum nova studiorum formula ornare, in eodemque ordinem jurisconsultorum et mathematicorum constituere voluerit, tantum affuit, ut litterae Latinae ex hoc Lyceo expellerentur, ut eadem, primo loco positae, a juris studiosis accuratius pertractari juberentur. Quod quo jucundius nobis esse debebat, eo exoptatius accidit, ut coram vobis, Auditores amplissimi, fateri liceat, juvenes curae nostrae demandatos jamjam intellexisse, quantum utilitatis ex accurata litterarum Romanarum scientia afferatur juri Romano. Sunt enim plures, qui in recta et legitima vocabulorum, quorum usus in foro erat, explicatione operam denuo collocaverint, et in consuetudinibus moribusque populi Romani ita versati sint, ut locupletissimum latinitalis thesaurum subtilius explicare, ex eoque haud tenues fructus coacervare possint. Atque tanta quidem linguae antiquitatisque cognitione, ut ubique, ita in primis in Russia opus est,

ut ex tenebris, quibus multa adhuc obruta sunt, singula protrahantur, et ad leges patrias vel explicandas, vel adjuvandas, vel rectius cognoscendas diligentius adhibeantur. Quod si factum fuerit, spero fore, ut criticum jurisconsultorum studium etiam in patria nostra non modo corroboretur, verum etiam fructus laetissimos proferat. Quis igitur non jure laetatur, jam in plurimis imperii Russici Universitatibus ex mutuo juris Russici Romanique studio, et ex communi illa utriusque disciplinae conjunctione spem excitatam esse longe jucundissimam, cum seges illa juvenum doctiorum, per immensos imperii fines distributorum magis in dies magisque augeatur, ipsique jurisconsultorum ordini novam dignitatem atque praecipuam aestimationem conciliaverit. Quo indubitatus vero major illius ordinis dignatio ex Universitatibus Russicis incrementum ceperit, eo jucundius animum uniuscujusque nostrum afficiat necesse est, quod non iis solis nova patriae gloria conceditur. Etenim ex quo in hoc Lyceo nostro peculiaris jurisconsultorum ordo constitutus est, nobis quoque obvenit facultas patriam ornandi juvenibus, qui, doctrina acumineque instructi, jurisprudentiae Russicae totique jurisconsultorum ordini optimam aestimationem nomenque splendidum parare valeant. Atque hodie primum, triennio rite absoluto, primi ex hoc Lyceo procedunt in vitam publicam, eorumque plures, litteris omnibus imbutos, et professorum laudibus cumulatos, maximam a se conceptam expectationem haud falsuros esse spero atque confiteor.

Jam ad Te, Pater supreme, sapientissime omnium rerum auctor et gubernator, convertimus preces atque vota nostra, suppliciterque rogamus, ut in eadem, quam ingressi sunt, via tutissime progrediantur, totamque vitam, et ad patriae nostrae gloriam, et ad commilitonum, adhuc in hoc Musarum sacratio relictorum, aemulationem probe instituant. Commendamus vero praeter ceteris Tuo numini potentissimo IMPERATOREM nostrum Augustissimum, NICOLAUM PRIMUM, qui etsi per immensos imperii fines summa, ut par est, colitur pietate, tamen ob maximam beneficiorum copiam, ob praeclara munificentiae liberalitatisque documenta, quibus hoc Lyceum praesertim

ultimo tempore cumulare voluit, animos sibi nostros ita devinxit, ut profecto nemo nostrum patri patriae optimo piam gratamque venerationem denegare possit. Commendamus Ministrum eruditionis Illustrissimum, qui, bonarum litterarum grande praesidium, consilio, prudentia, cura vigiliisque omnia litterarum studia ita adjuvit, ut in patria sempiternam gloriam, apud externos tantae sapientiae, tantae industriae invidiam sibi paraverit. Commendamus denique Curatorem nostrum Clarissimum, qui continua vigilantia, haud vulgari circumspicione, singulari diligentia, felici consiliorum et rerum omnium successu tantam sui excitavit expectationem, quantam antea nemo. Itaque fac, Deus sapientissime, ut hoc Lyceum sub ejus patrocínio famam atque laudem suam magis magisque amplificet, ut omnis verae sapientiae sedes habeatur, atque universae patriae nostrae prosperrimos successus largiatur.

НАУКОВА БИБЛИОТЕКА ОНУ ІМ. П. П. МЕЧНИКОВА

О Б Ъ

ОТНОШЕНІИ РОССІИ КЪ ВОСТОКУ.

Р Ъ Ч Ъ,

произнесенная

ИСПРАВЛЯЮЩИМЪ ДОЛЖНОСТЬ ПРОФЕССОРА

В. ГРИГОРЬЕВЫМЪ.

## ОБЪ ОТНОШЕНІИ РОССІИ КЪ ВОСТОКУ.

Elle est entre les mains de l'Eternel une charrue avec laquelle il laboure les plaines immenses et inertes de l'Asie pour les rendre cultivables; elle est la voie, dont l'Etre Suprême appelle tant de tribus éparses à marcher dans le routes d'amélioration, à le reconnaître et à s'unir ainsi dans une seule religion en même temps spirituelle et sociale. (La Civilisation et la Russie, par le comte A. Gurovski).

ММ. ГГ.

